



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. I. Quibusdam præmissus, negativè concluditur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

ARTICULUS IV.

*Verum possibilitas claræ visionis Dei
sit demonstrabilis solo lumine
naturæ?*

§. I.

Quibusdam præmissis, negativè concluditur.

63. **C**ertum & indubitatum est apud omnes, beatificæ visionis existentiam, aut futuritionem, non posse lumine naturali demonstrari, quia cum illa sit creati & intellectuali indebita, subindeque ex sola Dei voluntate dependens, solâ ipsius revelatione potest certo cognosci. Unde I. I. I. 4. dicitur: *oculus non vidit Deus absque te, qui præparasti expectantibus te.*

Certum etiam est, non posse evidentè ostendi beatificæ visionis impossibilitatem; tum quia falsum non potest evidentè ostendi: tum etiam, quia argumenta, quæ contra ejus possibilitatem fieri possunt, solubilia sunt, & supra à nobis proposita & soluta. Quod ergo vertitur in controversiam, est, an illius possibilitas possit lumine naturali evidentè demonstrari. Scotus enim in 4. dist. 49. quæst. 8. & Vasquez 1. 2. disp. 20. cap. 2. partem affirmantem tenent, alij verò negantem, cum quibus

64. **D**ico: possibilitatem visionis Dei ut est in se, solo lumine naturali demonstrari non posse, aut evidentè cognosci.

Probatum primò ex Augustino libro 13. de Trinitate capite 8. & 9. ubi loquens de vera beatitudine ait: *Hanc utrum cupiat humana natura, quam tamen desiderabilem consistetur, non parva questio est. Sed si fides adsit, nulla questio est: Humanis quippe argumentationibus hæc invenire conantes, vix pauci abundantè præditi ingenio, abundantè otio, doctrinisque subtilissimis eruditi, ad indagandam, solius animæ immortalitatem, pervenire potuerunt: qui tamen animæ beatam vitam non invenerunt stabilem, id est veram.* Quibus verbis in primis satis apertè declarat impossibilitatem perveniendi ad perfectam cognitionem supernaturalis beatitudinis, solo lumine naturæ. Deinde argumentum à posteriori satis efficax insinuat: Si enim possibilitas beatitudinis supernaturalis esset evidentè cognoscibilis ex principiis naturæ, illam absque dubio aliquis eorum antiquis Philosophis præstanti ingenio præditi fuisset assecutus: Sed ex Augustino beatitudinem supernaturalem prorsus ignorarunt: Ergo signum est eam solo lumine naturæ non esse cognoscibilem.

65. **P**robatum secundò conclusio ex D. Thoma 1. 2. quæst. 109. art. 1. ubi hæc scribit: *Intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum noticiam per sensibilia possumus devenire: aliora verò intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est natura superadditum.* Ex quo potest tale confici argumentum. Intellectus humanus ex suo lumine naturali non potest pervenire ad cognitionem, nisi eorum, quæ per effectus sensibiles cognosci possunt, & ex ipsis colligi: Sed ex effectibus sensibilibus non potest colligi visio beata: Ergo ejus possibilitas non potest lumine naturali cognosci.

A Major patet, Minor probatur: Ex effectibus sensibilibus non potest evidentè colligi, nisi illud, quod habet necessariam connexionem cum ipsis: Sed visio beata non habet necessariam connexionem cum sensibilibus: Ergo ex illis colligi nequit, Minor probatur: Supernaturalia non habent necessariam connexionem cum effectibus naturæ: Sed visio beata est aliquid supernaturale, ut supra ostensum est, sensibilia verò sunt quidam effectus naturæ: Ergo ex effectibus sensibilibus non potest cognosci visio beata. Major, in qua solum posset esse difficultas, est nihilominus certa: Supernaturalia enim intantum dicuntur supernaturalia, in quantum excedunt totum ordinem naturæ: Sed non transcenderent totum naturæ ordinem, si haberent necessariam connexionem cum effectibus naturæ, ut de se patet: Ergo &c.

B Probatum tertio: Omnis demonstratio vel est à posteriori per effectum connexionem cum causa, vel à priori per causam continentem effectum: At nullo ex his modis possibilitas visionis beate demonstrari potest: non quidem à posteriori, cum visio beata nullum effectum producat cum illa connexionem: nec à priori, omnis enim demonstratio à priori debet esse per causam proximè continentem effectum: At causa proxima visionis non est intellectus nudè sumptus, sed lumine gloriæ perfusus, & confortatus, ut infra dicemus, unde intellectus, ut sic actuatus, debet evidentè cognosci, ut à priori demonstretur possibilitas visionis beate: Sed hoc impossibile est naturaliter: Ergo possibilitas visionis beate solo lumine naturæ demonstrari nequit.

C Confirmatur: Visio beata non connectitur cum potentia naturali intellectus humani, sed solùm cum potentia obedientiali: At potentia obedientialis cum Deum, ut authorem supernaturalem, & vires totius naturæ transcendentem respiciat, lumine naturali evidentè cognosci non potest: alias viribus naturæ cognosci posset potentia obedientialis humanæ naturæ, ut terminetur per substantiam Dei, subindeque possibilitas incarnationis, quod Theologi in tractatu de incarnatione communiter negant: Ergo idem quod prius.

D Denique, suaderi potest conclusio ratione, quam insinuat D. Thomas super cap. 2. epistolæ ad Corinthios. Nequit demonstrari possibilitas finis, nisi posset evidentè sciri possibilitas mediæ, quia finis non est consequibilis, nisi per mediæ: Sed possibilitas mediæ ad claram Dei visionem conducentium, nimirum gratiæ, fidei, spei, & charitatis, solo lumine naturali evidentè cognosci nequit: cum enim hæc sint supernaturalia, captum luminis naturalis transcendunt: Ergo nec visionis beatificæ possibilitas.

E Neque valet responsio Vasquezij dicentis, ad cognoscendam evidentè visionis beatificæ possibilitatem non esse necessarium cognosci in particulari mediæ, à quibus dependet, sed vagè tantum, & in communi. Non valet, inquam, nam sicut beatitudo in communi respicit mediæ in communi, ita beatitudo sumpta in particulari ab his mediis, & principiis in particulari essentialiter dependet: At omne cognoscibile ab eisdem causis dependet, quoad cognosci cognitionem à priori, à quibus dependet in esse: Ergo licet cognitio mediæ in communi sufficiat ad cognitionem evidentem beatitudinis in communi, ad noticiam tamen evidentem beatitudinis speciatim sumptæ,

sumpta, scilicet supernaturalis, qualis est visio beatifica, requiritur cognitio mediocum in particulari, à quibus essentialiter dependet: nimirum gratiæ sanctificantis, fidei, spei, charitatis, &c.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

70. **O**bjicies primò eum Scoto: Evidens est lumine naturali, intellectum creatum posse cognoscere quicquid continetur intrà ejus obiectum adæquatum: Sed eodem lumine naturali constat, Deum clarè visum contineri sub obiecto adæquato intellectus creati, quod, ut supra diximus, est ens in communi, ut abstractus à creato & increato, à naturali & supernaturali: Ergo lumine naturali evidens est, Deum posse ab intellectu creato videri in se est.

71. **R**espondeo primò Negando Minorem. Non est enim evidens lumine naturali, obiectum adæquatum intellectus esse ens in communi, pro ut abstractus à naturali & supernaturali, enim lumine naturali non possit cognosci, dari aliquod ens supernaturalè. Undè quamvis Deus clarè visus se verè sub illo contineatur, hoc tamen solo lumine naturali demonstrari nequit.

Respondeo secundò: Quod quamvis lumine naturali esset evidens, ens ut sic secundum rationem communem suam analogiè, esse obiectum adæquatum intellectus creati, nihilominus nequit inde evidenter concludi, ac demonstrari possibilitatem visionis beatificæ; quia ad hoc salvandum non est necessè, quòd intellectus creatus possit attingere Deum ut in se est, & cognitione clarè & intuitivè, qualis est visio beatificat. Sed satis est, quòd abstractivè, aut alio imperfectiori sit ab illo cognoscibilis.

72. **I**nstat Scoto: Lumine naturali evidens est perfectionem convenientem potentia inferiori posse competere superiori, si amba ad idem genus pertineant: Sed attingere intuitivè omnia obiecta contenta sub obiecto specificativo potentia competenti cognoscit vis intellectus inferioribus, nimirum visus, auditui, & alijs sensibus potentis: Ergo evidens est, id etiam posse convenire intellectui.

Confirmatur: Nulla est repugnantia, quòd intellectus adjuvetur, seu eleveatur ad cognoscendum Deum ita perfectè, sicut alia obiecta; & consequenter, si ista potest intuitivè cognoscere, Deum etiam poterit clarè & intuitivè videre.

73. **A**d instantiam respondeo negando Majorem; multæ enim perfectiones competunt inferiori alicujus generis, quæ superiori competere nequeunt: nam celo convenit incorruptibilitas, quæ tamen homini, qui celo est superior, non competit: habitui primorum principiorum convenit evidentia, fidei tamen, quæ superior est, non convenit. Et ratio est in proposito, licet enim talis perfectio superiori non conveniat, potest tamen illi convenire alia major perfectio, per quam alia ejusdem generis inferiora excedat; & sic contingit in proposito, nam posse Deum abstractivè attingere, & omnia obiecta sensum abstractivè & intuitivè, longè majus est, quam ad obiecta sensibilia intuitivè attingenda aliquid: primum autem convenit intellectui, secundum sensibus.

74. **A**d confirmationem dicatur in re ita esse, sed non evidenter demonstrari, quòd talis repugnantia non sit, unde si aliquis protèrvè conten-

Aderet, talem repugnantiam dari, ex principijs naturæ non posset evidenter convinci. Potestque contra hunc discursum fieri manifesta instantia; Angelus enim omnia obiecta, quæ sunt infra Deum, comprehensivè cognoscit, & tamen ex hoc non licet inferre, nullam esse repugnantiam, ut eleveatur à Deo ad ipsius comprehensionem: Ergo Major illius discursus evidens non est posset enim aliquis respondere, exigi infinitam virtutem ad attingendum Deum clarè in seipso, qui sic respondens non posset evidenter convinci ex principijs naturæ.

Objicies secundò: Qui comprehendit aliquam potentiam, cognoscit omnes actus, & omnia obiecta, ad quæ potest se extendere: Sed Angelus naturaliter cõprehendit intellectum humanum, qui est capax visionis beatificæ: Ergo solo lumine naturali cognoscit, intellectum humanum ad illam posse elevari, ac profunde illam esse possibilem.

Respondeo primò negando Majorem: Nam ad comprehensionem alicujus potentia sufficit, quòd cognoscatur in communia actus & obiecta, ad quæ illa potest se extendere, nec requiritur quòd talis cognitio descendat ad omnia obiecta particularia, & terminetur ad omnes ejus actus in individuo; v. g. ut comprehendatur potentia visiva quilibet, non est necesse cognoscere explicitè, & in particulari omnia obiecta, quæ potest videre; sed sufficit cognoscere in communi, quòd illa potest videre quicquid visibile est. Similiter ut Angelus comprehendat intellectum humanum, sufficit ut videat, illum posse cognoscere quicquid cognoscibile est.

Respondeo secundò: Data Majori, distinguo Minorem. Angelus, naturaliter comprehendit intellectum humanum secundum potentiam naturalem concedo, secundum potentiam obedientialem, nego. Homo autem non est capax visionis beatificæ secundum potentiam naturalem, sed tantum secundum potentiam obedientialem. Unde licet Angelus naturaliter comprehendat potentiam naturalem intellectus creati, non sequitur, quòd in ea cognoscat possibilitatem visionis beatificæ.

Dices, Potentia obedientialis identificatur realiter cum intellectu humano, & est illi essentialis: Ergo non stat intellectum humanum comprehendit ab Angelo sub conceptu differentiali, & non cognosci ab illo sub conceptu potentia obedientialis. Consequentia probatur, nam comprehendere est cognoscere obiectum, quantum cognoscibile est: Sed non stat obiectum sic cognosci, & prædicatum aliquod ipsi essentialè cognoscentem latere: Ergo &c.

Respondeo concessio antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicatur, duplicem esse comprehensionem, alteram quæ est tantum talis absolutè, & omnibus modis; alteram quæ est tantum talis in determinato genere: primam non potest aliquod obiectum prædicatum latere, secundam vero nullum ex illis, quæ spectant ad genus in quo est comprehensio: Angelus autem comprehendit intellectum humanum comprehensione naturali, & ideo nullum prædicatum naturaliter cognoscibile potest ipsum latere; non verò cõprehendit illum comprehensione adæquatà in omni genere, ideoque potentia obedientialis, quæ non est naturaliter cognoscibilis, ejus cognitionem subterfugere potest.

Ex dictis inferes, etiam supposità fide, & divina revelatione, non posse naturali ratione demon-